10102/P

421
150

10102/P

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30348900

76022

DISSERTATIO PHYSICA
DE
CAVSSA PELLVCIDITATIS

QVAM
PRAESIDE

IOANNE GOTTLOB KRVGERO
MEDICIN. AC PHILOS. DOCTORE ILLIVSQVE
PROFESSORE PVBLICO EXTRAORD.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

D. APRIL. CIↃ IↃCC XXXXIIII

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS ABRAHAM
CVSTRINAS
S. S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS HENDELIANIS.

THEOLOGO. CONSVMMATISSIMO.

VIRO.

SVMME. REVERENDO. EXCELLENTISSIMO.
AMPLISSIMO. DOCTISSIMO.

SIGISMVNDO. IACOBO. BAVMGARTEN.

S. S. THEOLOGIAE. DOCTORI. EIVSDEMQVE. PROFESSORI. PVBLICO. ORDINARIO. LONGE. CELEBERRIMO.

VIRO.
INCOMPARABILI.
ERVDITI. ORBIS. ORNAMENTO.
MAECENATI. PATRONO. SVO.
AETATEM. COLENDO.

CVM. ARDENTISSIMO. OMNIGENAE. FELICITATIS. VOTO.

OB.

MVLTA. BENEFICIA.

QVAE.

SIBI. COLLATA. GRATVS. RECORDATVR.

HOCCE. SPECIMEN. PHYSICVM.

D. D. D.

AVCTOR.

§ I.

Lumen eſt id, quod corpora circa nos reddit viſibilia.

Schol. I. Ne quid ſine demonſtratione admittere videamur, adhuc nominalem luminis definitionem ſufficere credo, donec ex illo luminis attributo eſſentiam eiusdem infra cognoſcere poſſimus.

Schol. II. Differt etiam lumen a luce, ab hac enim tanquam illius fonte quaquauerſum diffunditur lumen.

§ II.

Poſito lumine corpora circa nos reddentur viſibilia (§ I.) quo ergo remoto nihil videre poſſumus. Tenebrae cum oriantur ex abſentia luminis, in illis oculis noſtris nihil conſpicimus. Neque vero obſtat homines multam in carcere admodum tenebricoſo vitam degentes ſcribere, aliaque circa illos ver-

ſantia corpora conſpicere poſſe, fieri enim poteſt, vt in illum nihilominus luminis radii quamuis pauci reflexi ſcilicet incidant, hincque patet ratio quare plerorumque animalium, quod maxime in felibus deprehendimus pupilla mirifice ſane ſit maior, quam fuit, cum in copioſiore lumine verſarentur, vt nimirum plures in oculos ipſorum incidere queant radii, quam alioqui, ſi non extenſa atque dilatata fuiſſet pupilla, fieri potuiſſet.

§ III.

Videmus obiecta, ſi ab illis ſufficientes in oculos noſtros radii incidunt; moueri itaque lumen, ipſique competere motum certo certius eſt; motum autem eſſe rectilineum edocemur camera obſcura. Non enim eadem, ac reliquis fluidis, competit lumini preſſio, cum non quaquauerſum, ſed ſecundum vnicam tantum directionem progrediatur, aqua vero & reliqua fluida & ſurſum & ad latus & deorſum premere ſoleant, demonſtrantibus id hydroſtaticis principiis. Si enim quidam ſolis radius per non adeo magnum in feneſtrae valuis foramen in cameram obſcuram intrat, quid quaeſo vides? atomos volitantes illuminatos lineam rectam repraeſentantes. Nec aliter fieri poteſt, ſi enim in medio eiusdem denſitatis per curuam lineam lumen moueri poſſet, corpora poſt alia poſita videremus, ſi enim ab obiecto radii non per rectam, tamen per curuam in oculos noſtros inciderent, atque iſtiusmodi corpora conſpicere poſſemus, quod

tamen

tamen contra experientiam. Equidem ſcio dari caſus, in quibus ſolis radii mouentur per lineam curuam e. g. in fractione radiorum in atmoſphaera noſtra. Radii enim diuerſimode poſſunt frangi, prout vel ex medio rariore in denſius vel ex denſiore in rarius incidunt medium, quoniam igitur aër ſuperior rarior quam inferior, radii, quo magis in atmoſphaera deſcendunt, eo magis franguntur, hinc directionis lineam quouis mutant momento, & ſic per curuam lineam radii mouentur. Ex hoc igitur adparet, cur antea cum reſtrictione dixerimus, lumen moueri per lineam rectam in medio eiusdem denſitatis. Ergo lumen non eſt, niſi ignis in medio eiusdem denſitatis in linea recta motus. Radios enim lucis ex particulis ignis compoſitos eſſe, neminem exiſtimo fore, qui dubitet, cum non ſolum in plerisque corporibus calefactis lumen conſpiciamus, verum etiam radii ſolares ope vitri ſiue ſpeculi cauſtici in anguſtum ſpatium redacti, omnia ignis exhibeant phaenomena, corpora comburendo, liquefaciendo, calcinando &c.; differentia igitur inter lumen & calorem in directione particularum ignearum erit quaerenda: ad calorem enim non niſi motus particularum ignearum requiritur curuilineus; lumen vero tramitem poſtulat rectilineum. Neceſſe igitur non eſt, vt omnia corpora calida lumen ſpargant, neque vt lucentia omnia calida deprehendantur, fortaſſe autem ambo effectus ſemper coniunguntur, quamuis alteruter interdum ſit infinite paruus atque ſic inſenſibilis.

§ IV.

§. IV.

Corpus pellucidum eſt, quo quamuis interpoſito alia conſpicimus, non pellucidum eſt opacum. Pelluciditas autem eſt determinatio, qua corpus dicimus pellucidum. Quoniam igitur ſine lumine nihil videri poteſt (§ II. III.) & corpus pellucidum eſt, per quod radii transeunt, materia vero corporis ſolida eſt impenetrabilis: radii non transeunt per materiam ſolidam, transeunt tamen, ergo per poros, & cum motus luminis ſit rectilineus (§ III.): pori in corpore pellucido rectilinei, vt dentur, neceſſe eſt. Hinc minimae omnium corporum particulae ſunt pellucidae, quod teſtantur microſcopia, quorum beneficio ſatis minimas corporum partes conſpicimus.

§. V.

Radii a particulis ſolidis reflectuntur (§ IV.) ſecundum leges reflexionis corporum elaſticorum; Si itaque directe & perpendiculariter radii in particulas ſolidas impingunt, eadem recta & perpendiculari ſcilicet etiam reflectuntur. Si porro radii oblique in particulas ſolidas impingunt, angulus reflexionis, quem radius reflexus cum plano contactus format angulo incidentiae, qui ab radio incidente oritur aequalis eſt & vterque in eodem plano, id quod ex motu compoſito a priori demonſtrari, & per experimenta cum quouis ſpeculo ſiue plano ſiue curuilineo optime confirmari poteſt. Corpus perfecte pellucidum eſſet, per quod omnes tranſirent radii,

in

in ſuperficiem eius incidentes; iam vero omne corpus quandam radiorum partem reflectit. Ergo non datur perfecte pellucidum, particulis enim deſtitueretur, nec eſſet corpus. Vitrum, aqua omnesque pellucidi liquores radiorum partem transmittunt, partem reflectunt. Si enim radius in vitrum aqua repletum in camera obſcura incidit, partem huius radii aquam permeare partem vero ab huius aquae ſuperficie reflecti animaduertes, ita vt angulus incidentiae ſit aequalis angulo reflexionis. Partem igitur tranſire nullum eſt dubium; quid enim conſpicis, nonne lumen? lumen vero, cum ſit corpus, ſubſiſtere nequit, niſi in interſtitiis ſiue poris corporis pellucidi propter impenetrabilitatem materiae ſiue particularum ſolidarum. Quare quo craſſius eſt corpus, eo minus eſt pellucidum. Itaque ſcimus rationem, cur vitrum atque aqua ſint nobis inſtar ſpeculorum, quod fieri nullo modo poſſet, ſi omnes transmitterent radios, nullosque reflecterent in oculos. Quicquid vero iis, quae dicta ſunt, obiici poſſet, eo potiſſimum redit: infinitos in pellucidis tali ratione dari poros, cum ſphaera vitrea ex omni parte ſit pellucida, nullamque adeo fere poni materiam; ſed quoniam ſupra demonſtratum eſt, partem radiorum, eorum nimirum, qui in partes ſolidas incidunt, reflecti, haec omnia nos non ferire credo. Nec vero numerus pororum, vti exiſtimamus, adeo exiguus eſt, id quod ſic demonſtrare poſſe mihi videor. Cum enim ſit nume-

rus partium ſolidarum aque ad numerum interſtitiorum vt 39 ad I. per § 359. phyſices Praeſidis Excellentiſſimi, erit numerus interſtitiorum in ſuperficie ad numerum particularum vt quadratum radicis cubicae numeri 39 ad vnitatem hoc eſt quam proxime vt 1156 ad 100. Ergo ad minimum decem radii tranſeunt, ſi vnus reflectitur. Miranda autem res eſt, radii ex aqua in aërem tranſeuntis partem notabilem, iterum viuide in aquam reflecti. Reſiſtentiae aëris id tribuunt phyſici, quod in totum negari quidem nequit, ſed reflexio tamen non adeo viuida eam ob cauſſam concipienda mihi viſa fuit, hinc conum vitreum ſub campana in antlia pneumatica poſui, incidebat radius per campanam in vitrum modo dictum, euacuabam aërem, quantum vllo modo licebat, radius autem eadem qua antea, aëre euacuato reflectebatur in aquam viuiditate.

§ VI.

Sic plane non video cur tranſitum lucis per corpus pellucidum negare debeamus. Certo enim certius eſt radium, quem in pellucidis conſpicimus eſſe radium lucis. Interim ISAAC NEWTON demonſtrauit, preſſionem per fluida non propagari, niſi quando particulae fluidi in directum iacent. Quam primum enim propagatur ad particulas, quae non in directum iacent, diuaricare incipiet & oblique propagabitur in infinitum; & poſtquam incipit oblique propaga-

ri,

ri, toties iterum diuaricabit, quoties in particulas non accurate in directum iacentes inciderit. conf. ISAAC NEWTON *princip. mathemat. Philoſoph. natural. Sect. VIII prop. XLI. Theorem. XXXII.* Ergo motus luminis rectilineus ex preſſione progagata particulisque aethereis communicata vix concipitur; Eadem reſtat difficultas, ſi pelluciditatem explicaturus diceres: ſi tribus globulis a b c in directum poſitis medium b illorum globulorum manu firmiter teneo motus vnius c per medium globulum b loco non motum in tertium a propagabitur; Sic quoque motus aetheris per vitrum aetheri communicari poteſt quamuis radius non tranſierit. Nec vero obſtat infinitos radios luminis in aëre & quocunque corpore pellucido infinities ſe ſecare; cogitanda enim lucis ſubtilitas, licet eam non quidem imaginatione intellectu tamen capere poſſimus. Cum enim ex quouis puncto infiniti diſpergantur radii, etiam eosdem infinities ſe ſecare clarum eſt, licet alter propagationem motus alterius non impediat. Si enim foramen in charta acu perforata ad oculos adplicamus, dimidium fere coeli circulum ſiue horizontem videre poſſumus, quod tamen fieri non poſſet, niſi ſtupenda radiorum congeries illa in oculos noſtros per illud foramen incideret; diſtincte autem Horizontem conſpicimus, ergo alter radius alterius radii motum minime impediet.

§ VII.

Cum igitur demonſtrauerimus, lumen in linea recta ad oculos noſtros in medio eiusdem denſitatis propagari (§ III.) idque fieri ſi pori ſint rectilinei: Sequitur corpus pellucidum definiri poſſe, quod ſit corpus materia eiusdem denſitatis porisque rectilineis conſtans. Poros rectilineos requiri ad corpus pellucidum conſtituendum demonſtrauimus ſupra (§ IV.) aeque vero neceſſaria eſt materiae homogeneitas. Pone enim dari poſſe corpus pellucidum, quod tamen compoſitum eſſet materia longe heterogenea, tum radius incidens, qui non a particulis reflecteretur, diuerſimode ſane refringeretur, prout vel ex materia denſiore in rariorem, vel ex materia rariore in denſiorem tranſiret. Cum igitur ſemper pars radii reflectatur, infinite parua tranſibit radiorum quantitas, quae cum nōn ſufficiat eiusmodi corpore interpoſito alia corpora vt conſpiceremus, tale corpus non erit pellucidum. Ergo duo requiruntur ad corpus pellucidum vnum, vt conſtet materia eiusdem denſitatis, alterum vero vt poros habeat rectilineos.

§ VIII.

Lumen omnium corporum eſt leuiſſimum per princ. phyſ., particulae ipſius non ſolum ſunt admodum minimae, verum etiam ſatis parum connexae, lumen igitur eſt corpus fluidum omnium fluidorum leuiſſimum. Quoniam igitur corpus grauius aliud corpus leuius attrahit per experient. ſequi-

ſequitur, vt omnia corpora attrahant lumen. Intelligimus itaque ex eo, qui fieri poſſit, vt luminis directio mutari poſſit, ſi ſcilicet lumen tranſit proxime circa ſuperficiem alius corporis. Mutatio directionis radii circa ſuperficiem corporis alterius facta, dicitur radii inflexio. Ergo inflexio pendet ab attractione, & quoties lumen circa corporis ſuperficiem tranſit, toties radius inflectitur. Hanc inflexionem primus demonſtrauit ex Societate Ieſu FRANCISCVS MARIA GRIMALDVS; NEWTON autem multis confirmauit eam experimentis, & oſtendit non pendere ab refractione in atmoſphaera corporis facta.

§ IX.

Eodem etiam fundamento attractione ſcilicet nititur refractio. Ponatur enim radius oblique incidere in ſuperficiem corporis pellucidi quidem ſed denſioris illo, per quod radius antea mouebatur, poterit obliquus eius motus ex duabus viribus compoſitus concipi, quarum altera ad ſuperficiem corporis, quod radius contingit perpendicularis, altera ſuperficiei parallela exiſtit, iam corpus denſius radium attrahit, & quidem eo fortius, quo denſius eſt, vires enim attrahentes in corporibus ceteris paribus eſſe, vt numerum particularum, nemo dubitabit, qui cogitauerit, quamlibet particulam vi attractiua gaudere, iam autem attractio eſt actio & omnis actio fit ſecundum lineam perpendicula-

rem, patet igitur hoc etiam modo corpus denſius in radium agere debere, augebitur igitur quantitas vis perpendicularis in radio, altera, quae ſuperficiei corporis denſioris parallela eſt non mutata; motus itaque denuo oritur compoſitus, verum in diagonali, quae propius ad perpendiculum, quod ad punctum contactus duci poteſt, quam ante accedit. Si itaque radius ex rariore in denſius medium tranſit, refractione propius ad ductam in puncto contactus lineam perpendicularem accedit, quod erat primum.

Ponatur porro radius egredi oblique e medio denſiore in rarius, & poterit idem eius motus tanquam compoſitus concipi, liquet vero ſimul vim perpendicularem tantam iam ab attractione medii denſioris pati diminutionem, quantum in ingreſſu in illud augmenti ceperat, vnde iterum alia linea diagonalis deſcribitur a perpendiculo ad punctum contactus ducto magis recedens. Iam cum mutatio directionis radii in corpore pellucido refractio nominetur, nonne radius oblique in medium denſius incidens ad perpendiculum & in rarius a perpendiculo refrangatur neceſſe eſt? Quod erat alterum. Vano & irrito conatu hanc experientiae fide ſtabilitam refractionis legem ex medii reſiſtentia deducere allaborauit CARTESIVS & alii, quoniam ſic radius in medium denſius incidens neceſſario a perpendiculo refringeretur.

§. X.

Quo magis refractio radii repetitur, eo magis minui-

minuitur pelluciditas; Iam vero in corporibus, quae heterogenea compoſita ſunt materia, & poris curuilineis conſtant, ſaepius refringitur radius. Ergo interpoſito eiusmodi corpore alia non conſpicimus, eiusmodi corpus cum ſit opacum § IV. definiri poteſt corpus opacum, quod ſit corpus partibus heterogeneis vel poris curuilineis conſtans. Quo pluribus ergo poris rectilineis particulisque homogeneis corpus conſtat, eo magis eſt pellucidum.

§ XI.

Nullum pellucidum eſt perfecte pellucidum, omne enim corpus partem radiorum in ſuperficiem cadentium reflectit § V. Ergo omne pellucidum ex parte eſt opacum. Nix eſt corpus opacum quamuis ex pellucidis particulis compoſitum. Conſtat enim ex particulis diuerſae denſitatis, vaporibus ſcilicet, quae frigore coierunt, & aëre tanquam materia reſpectu denſitatis vaporibus rariore, reflectit itaque radios ſatis copioſe, hincque fit, vt alba oculis noſtris ſe ſiſtat.

§ XII.

Quoniam igitur corpus pellucidum poris rectilineis gaudet, ſimul autem habet materiam homogeneam § VII. Intelligimus inde, quomodo corpus alioqui opacum fieri poſſit pellucidum, ſi ſcilicet interſtitia quae materiae heterogeneae ſunt

ferti-

fertiliſſima, materia eiusdem cum corpore denſitatis repleamus euacuata expulſaque heterogenea. Malum eſt corpus opacum, ſi vero ope antliae pneumaticae aërem tanquam materiam heterogeneam euacuamus, ſicque malum, vt inteſtitia ipſius aëre euacuata aquam ſugant, iniicimus, fiet pellucidum, quoniam aqua cum materia mali fere eſt eiusdem denſitatis.

Charta eſt corpus opacum, quodſi vero humectamus eam aqua vel oleo pellucet. Eadem eſt etiam ratio diſcorum vitri poſt ſe poſitorum non enim ſic pellucent, vti vitrum eiusdem denſitatis & ſine interſtitiis, repleamus autem ſpatium aqua & reddetur corpus pellucidius, quoniam aqua materia eſt magis quam aër vitri denſitati accedens.

§ XIII.

Si itaque corpus opacum fieri poteſt pellucidum, interſtitiis, materia eiusdem denſitatis repletis, ſequitur corpus pellucidum reddi poſſe opacum, ſi interſtitia materia heterogenea repleamus, quod teſtatur etiam experientia. Oleum & aqua per ſe ſunt corpora pellucida, admiſceas autem aquae oleum, non pellucet, quoniam diuerſae denſitatis ſunt corpora.

TANTVM.

AESTV-

AESTVMATISSIMO

IO. FRID. ABRAHAM

SAL. PLVR. DIC.

SIG. IAC. BAVMGARTEN.

Minus grauarer has ad TE litteras dare, ſi quas partes meas in publica diſputatione TVA rogatus recipere poſſem, quam nunc quidem ſcribo ingratiis meis, vbi per labores, quibus hos dies cumulatus teneor, adeo felici mihi eſſe haud licet, vt TIBI mihique obtemperem atque humanitatis, amoris ac beneuolentiae, quam auditoribus debeo, officio ſatisfaciam. Quod grauiter omnino & moleſte fero. Ne tamen plane TE deſtituam aut neglectae conſuetudinis, quam diuturnior diſciplina ſtudiorumque coniunctio peperit, ſuſpicionem faciam atque ſpem TVAM fefelliſſe videar, breuiter defungar gratulatione, quam mereris, publicoque iudicii mei de induſtria & dexteritate TVA teſtimonio. Aſſiduus fuiſti in ſcholis meis, quibus doctrinam ſanctiorem explicaui atque diſputationibus examinibusque confirmaui, controuerſias diſcuſſi, morum animique formandi praecepta dedi, caſus difficiliores in animorum cura obuios diſputaui, ſacros oratores & interpretes formatum iui, interpretationemque praeiui oraculorum liturgicorum, epiſtolarum ad Hebraeos atque Corinthios vaticiniorumque Ioelis & Maleachi atque hiſtoriam tam ſectarum quam rerum in ciuitate Chriſti geſtarum enarraui. Neque in aliorum auditionibus TIBI defuiſti atque ſtudii indefeſſi quidquam in TE deſiderari paſſus eſt. Iterum nunc prodis in arenam ſolemnem factos in naturae ſcientia progreſſus aeque teſtificaturus quam profectus intel-

ligentiae rerum ſacrarum eodem loco iam aliis approbaſti qui TE diſputantem audiuerunt. Age igitur, cariſſime ABRAHAM, DEO accepta refer tot beneficia ingenii induſtriae atque doctrinae, ſtadium academicum feliciter emenſus laborum peractorum ſalutares fructus cape in rem TVAM & ciuitatis ſacrae, aeternitati viue TVI nunquam immemor, atque adeo ſpem de TE meam egregie bonam imple ac ſupera. Vale. Dedi Halae ad Salam in acad. Frideric. d. VI. Apr. cIↃIↃcc xxxxIIII.

NOBILISSIMO ET PRAECLARE DOCTO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

EX laudabili TVA induſtria & proficiendi ardore cuius iam praeclarum ſpecimen edis, nuperque edidiſti a *Summe Venerando Viro D.* CLAVSWITZIO in arenam diſputatoriam deductus, laetisque ſtudiorum TVORVM progreſſibus voluptatem capio ſingularem, quam his literis ſignificandam eſſe exiſtimaui, vt ſimul & TIBI de abſolutis academicis ſtudiis & patriae de eximiae ſpei Theologo publice gratularer. Diſſertationem quam proprio marte elaboraſti obſeruationum mearum acceſſionibus amplificare nolui, ab hoc enim & mea me voluntas reuocauit, quod praeclarum hunc diligentiae TVAE fructum proprium TIBI omnino relinquendum eſſe putaui, & laborum meorum quamuis non magnitudo, tamen multitudo. Argumentum in quo explicando gnauiter elaboraſti, iis certe diſplicere non poteſt, qui phaenomena naturae in deliciis habent quantique eorundem interpretan-

pretandorum referat, non ignorant. Praecipue vero laudem mereris quod quae vera ſit pelluciditatis cauſſa oſtenderis, eamque neque cum CARTESIO in ſolis rectilineis poris, neque cum NEWTONO in ſola materiae homogeneitate quaeras; ſed potius in natura coniunctiſſima coniungas, effecit ſane haec vtriusquae cauſae disiunctio, vt praeclari in naturali ſcientia Viri exiſtimauerint, lumen plane non per corpora pellucida moueri, ſed iisdem tantummodo motum quendam communicari, verum non cogitauerunt radiorum ſubtilitatem corporum poroſitatem, reliquasque quas adduxiſti rationes. Nihil iam amplius adiiciam, TIBIque quod TVVM eſt relinquo integrum & immutatum; ſed ſcias etiam me iam praeuidere TE diſſertationem, quam ſolus elaboraſti etiam facile eſſe defenſurum. Noui enim dexteritatem TVAM & laudabile ſtudium, quod in addiſcendis Theologorum ſanctis doctrinis & linguis non ſolum poſuiſti, ſed & philoſophorum & mathematicorum ſcholis tribuiſti, lateri enim meo indefeſſus ſemper auditor adhaeſiſti ſiue phyſicam ſiue matheſin puram ſiue matheſin applicatam ſiue algebram docerem, quam cane peius & angue fugiunt, quibus non ex meliori luto finxit praecordia pallas. Age igitur *Aeſtumatiſſime Reſpondens*, macte eſto laude TVA, in conflictu ſolemni eundem TE praeſta quem auditores iam diſputantem cognouerunt, tramitem virtutis quem ingreſſus es religioſe & ſancte decurre, de meque TIBI recipio, nunquam officiorum quae ab homine TVI amantiſſimo proficiſci poſſunt, quicquid in me deſideratum iri, ita vale in rem TVAM meique memor vive. Dedi in academia Fridericiana d. VIII. April. CIↃ IↃCC XXXXIIII.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE PRAECLARE DOCTO

DOMINO CANDIDATO

S. D.

C. E. S. KAVLFVS.

QVem non ita pridem in cathedram Theologicam ſumma cum laude perorantem ac ediſſerentem demiratus ſum, illum rurſus in palaeſtram Philoſophicam abire, non ſine ingenti animi uoluptate conſpicio. Ita quidem PRAESTANTISSIME ABRAHAM rationes TVAS ſubduxiſti, ut cum ſanctiori Theologiae ſtudio Philoſophiam ſororio quodam uinculo coniungas, quae lucem TIBI praetulit mirificam ad inſpicienda intimiora uniuerſae eruditionis penetralia, praecipue autem ad conſequendum dogmatum illorum diuinorum nexum, quibus uitam TVAM & operam laudabili conſilio conſecraſti. Nobile igitur quinquennium, quod in ſplendida hac ſcientiarum ſede feliciter transactum gaudes, ita collocaſti, ut celeberrimorum Theologorum ſubſelliis pertinaci adhaeſeris aſſiduitate inſtitutionibusque Theologi praecipue conſummatiſſimi BAVMGARTENII noſtri & poſt hunc Summe Venerandi CLAVSWITZII uſus ſis. Ad Philoſophiam uiam TIBI ſtrauit VIR SVMMVS noſtri ſaeculi PHILOSOPHVS PERILLVSTRIS WOLFIVS, & EXCELLENTISSIMVS PRAESES TVVS, cuius mirificam doctrinam omnes docti ſuſpiciunt. Praeſertim uero quum ad latus CELEBERRIMI HVIVS VIRI per annum & quod excurrit, haerere TIBI licuerit; inſignes feciſti in Mathematicis & Phyſicis profectus, quorum iam praeclarum edis ſpecimen, TVO marte elaboratum, cras defendendum. Quare non dubito, ſed plane confido, fore, ut eadem dexteritate has partes ſuſtenturus ſis, qua olim de fide in Ieſum Chriſtum diſputabas, hoc eſt maſcule atque egregie, quid? praeuidere mihi uideor, hanc TE ſpem longe ſuperaturum. Gratulor TIBI inſignem quam TIBI parauiſti doctrinam, gratulor rei literariae, gratulor patriae ornamentum, gratulor denique mihi amicum eximiis exſtructum dotibus. Vale PRAESTANTISSIME ABRAHAM idque uelim agas, ut natale ſolum, cuius oras mox ſalutabis, TE TVAque doctrina maxume uti fruique poſſit.

Dab. Halae d. VIII. April. cIↃ IↃCC XXXXIIII.

917
759